

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



38

COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO V.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ARTICVLI VI.

De Quaestione

An iusti posfint be-
nē operari & legem DEI
implere,

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

JANO PETRI SCHELDERUPPIO Norwego.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 4. Aprill.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



GOTLICHE TANZEN
IN AUGSBURG CONVENTION

D 1254 T 4 L 10

WATSONS TANZEN

D 2 B 18 E 2 L 10 R 3

AUFLIEßT POSITIVE

NE OBERLÄUFER JEDEN DEI

JUBELRE

IN EINGESETZTE VERSCHENIS VVITSCHEGEN

A 23 S 1 D 3

T. 2.2 HANDEL 2.2. T. 3.

D 2 B 2 B 10 C 10 P 10 L 10 M 10

SUMMUS IN TEMPO ALIAS TYPHOON

AKTIVATIONES

UNO PETRI SCHIRDENPIPIO NOTWEGO.

M 23 S 10 C 10 R 10 M 10

AD SPES A 4

WITTE ERKE

LIPPHORNIS SAVROMONIS AUBERBACH VAG TUBOGA

ANNO M DC XXXX





Continuatio.

Uæ statim post exhibitam Augustanam Confessionem in articulo hoc sexto, & à quibus reprehensa, quæq; Sophisina ta contra illum mota & objecta fuerint, præcedente vidimus disputatione: requirit nunc Methodi nostræ ratio, ut in cā, quæ subsequentibus temporibus contra eundem, orthodoxamq; hanc nostram Confessionem ac fidem moliti sint adversarii Pontificii, & inter illos Jesuitæ, pari diligentia evolvamus. Horum autem tanta est multitudo, ut vix numerari, nedum omnium argumenta adscribi & refutari queant. Quod verò de verbis duntaxat velim intelligatur. Hæc quidem multis ac miris modis sunt variata, & continent alia atque alia argumenta adducta & adjecta: cum interim accusatius re inspectā, nihil novi attulerint, sed eandem crambem iterum iterumq; coctam apposuerint. Ad unius igitur strophas quando fuerit responsum, omnes refutatæ erunt. Quare ut hæc tenus, sic in hac quoque materia Becani selegemus Disputationem, quam in Scholaistica sua Theologia de bonis operibus instituit: cuius quæstiones & argumenta ordine adducemus, more nostro resolvemus & refellemus. Deus sua gratia & Spiritu nobis porrò adsit, qui nos ducat in omnem veritatem, ut ipsi grata, Ecclesiæ proficia, nobisq; ipsis salutaria dicamus, faciamus.

A 2

THE

THESES.

I. Bécanus de merito bonorum operum disputare incipiens, in proœmio refert ac præmittit, tria potissimum de hac re disputari solere inter Catholicos, hoc est Papanos & Adversarios. 1. *An justi possint facere aliqua opera, quæ bona sint.* 2. *An ex præcepto divino teneantur ea facere.* 3. *An, si faciant, mereantur aliquid apud Deum.*

II. Fingit nos & Calvinianos priores duas quæstiones simpliciter negare, figuraq; illo magnam nobis facit injuriam: quippe qui illas nunquam simpliciter negavimus, sed ubique semper & constanter docuimus, posse omnino hominem pium bona opera facere: sed non perfecte & absolute bona, ut illa requirit Lex, proindeq; nos illis justificari non posse. Deinde omnino docemus, quod teneamur ea facere, & omni studio ac labore eò contendere, ut omnes nostræ actiones, quoad ejus in hac infirmitate carnis fieri possit, legi divinæ sint conformatæ: si autem defectus occurrant, propterea non desperandū esse, cum Christus pro ipsis satisfecerit, vereq; pœnitentibus & credentibus, justitiâ Christi tegantur. Tertiam simpliciter, ut refert Bécanus, negamus, & pleno ore dicimus: *Bona opera nullo modo esse meritoria.*

III. Ex hac autem doctrina nostra ejusmodi provenire fructus porro calumniatur Bécanus: nempe 1. *Neglectum bonorum operum.* 2. *Contemptum legum divinarum.* 3. *Licentiam peccandi, & omnia flagitia impunè perpetrandi;* & 4. *Supinam securitatem.* Calumnia aperta est. Rationes enim, quas addit, non nostræ, sed cerebri Jesuitici figura sunt.

IV. Primum dicit propterea sequi, cum nobis persuadeamus non posse nos bene operari. At hoc non nos nobis, sed Jesuita sibi de nobis persuadet, non vero sine magno errore & nova calumnia: Jammodo enim contrarium probavimus ac testatus sumus, renatum nimicum bene operari posse: sed opera illa nihil facere ad justificationem.

V. Secundum sequi affirmat: *Quia si leges divinæ servari non possunt, frustra in illis servandis opera collocatur.* En 1. Vitium

μη

unū & dīgī rōtō. Antecedens enim non est nostrum : sed signum
renatus cerebri Jesuitici. Nos enim concedimus & volumus re-
natos juxta legem divinam vivere posse, imò debere : & licet
legem perfectè non impleant, opera tamen ipsorum Deo pla-
ceant, propter personam Deo reconciliatam. 2 Est Sophisma
à dicto secundum quid. Docemus enim, quod suo modo re-
nati legem implere possint. 1. Imputative, quatenus per fidem
ipsis reverā imputatur obedientia Christi activa legi præstata.
2. Inchoative : quatenus non ex propriis quidem viribus, sed
ex gratia & operatione Spiritus Sancti inchoant præstare legi
obedientiam : quæ ipsa tamen quia imperfecta est (uti dixi-
mus) utiq; legi neque ex parte neque ex toto satisfacit : Siqui-
dem qui in uno deficit, omnium præceptorum reus est; Jacobi
2. v. 10. Interim Deo placent propter Christum, ut rectè do-
cet Lutherus in Articulis Smalcaldicis : *Sicut persona fidelis re-
putatur justa per fidem, licet peccatum hæreat in carne; ita & opera
bona credentium, reputantur justa & sancta ex gratia propter Chri-
stum.* Tandem committitur fallacia causæ. Nam licet ser-
vari à nobis & impleri non possit lex divina : sunt tamen aliæ
causæ, ob quas illam in Ecclesia servare, & semper in conspe-
ctu & in memoria habere debemus: nempe, ut, juxta Augustinum
de Spir. & Liter. admoneamur, quid fide exposcere, quo spem
præmittere debemus. Neḡ enim, ut Bernhardus subjicit, la-
tuit præceptorem præcepti pondus hominum vires excedere : sed ju-
dicavit utile ex hoc ipso illos insufficiente admoneri, & ut scirent sa-
nè ad quem justitiae finem nisi pro viribus oportet. Quocircum man-
dando impossibilia, non prævaricatores Deus fecit homines, sed hu-
miles, ut omne os obturetur, & subditus fiat omnis mundus D E O.
Sermon. 50. in Cant. Sed hac de re suo loco pluribus.

VII. Tertium inde colligit, quod statuimus liberos nos
esse ab obligatione legis, & illius transgressionē nobis non imputari.
In utroque est Sophisma à dicto secundum quid. Primum
enim statuimus nos, renatos liberos esse obligatione legis,
quoad condemnationem & maledictionem: non autem quoad
obedientiam. Deinde transgressio nobis non imputatur,

seriō resipiscentibus & pœnitentiam agentibus : alias omnino imputatur.

VII. Quartum hinc concludit: quod docemus vitam æternam non acquiri nostris operibus: sed sponte nobis offerri sine periculo amissionis. Nulla rursus est consequentia. Nam licet non acquiratur nostris operibus, non tamen acquiritur sine fide: quæ licet donum Spiritus sancti sit, non tamen illam in nobis immediate excitat, sed per auditum verbi, & ob-signat confirmatq;, per usum legitimum Sacramentorum. Fides etiam licet non bonis operibus gignatur & acquiratur: malis tamen moribus perditur & amittitur, quandoquidem peccata mortalia & fides simul in eodem subjecto esse non possunt: Quemadmodum nec Belial & Deus Spiritus sanctus in eodem corde habitare. Ubi ergo mala sunt opera, ibi contristatur Spiritus sanctus, tandemq; prorsus expellitur, hoc expulso, ingreditur malignus Spiritus. Ubi autem Spiritus sanctus non est, ibi neq; fides est: & è contra ubi spiritus malignus, ibi supina securitas, & ad omnis generis mala incitamenta innumera.

IIX. Liquet inde, quod planè & sūbita sint: fidelem esse, & in supina securitate vivere, haud secus ac Solem esse & omni luce carere. Si enim fidelis est, non potest non maxime pere ab ejusmodi vitio securitatis abhorrire, idq; totum ipsi adversum & contrarium esse. Filii enim Dei à Spiritu Dei ducentur, non ad supinam securitatem, sed ut in timore ac tremore operentur salutem suam. Tam firma est hæc Beconi consequentia; atq; si forsitan Diabolus contra Angelos in bono confirmatos, in hunc modum disputaret: Vos Angeli estis confirmati in bono, & non dubitatis de æterna ac perpetua vestra salute. ergo aliter fieri non potest, quin in vobis sit summa securitas ad quidvis perpetrandum, etiam malum quocunq;.

IX. Egregia sane argumentatio Diabolis & Jesuitis digna. Illa confirmatio in bono tantum abest ut supinam in Angelis gignat securitatem: ut summam potius efficiat delectationem obtemperandi Deo, & tantum quæ ipsi placent peragendi, idq; liberè & motu plane spontaneo: sic etiam res se habet

bet cum fidelibus. Fiducia illa in Christum mediatorem, quā
illos certos facit de salute æterna, tantum abest ut sit causa su-
pinæ alicujus securitatis, matri nimirum omnium vitiorum;
ut verum erga Deum amorem, & charitatem erga proximum
excitet, & hominem ad omne bonum operandum promptum
faciat. Ut enim arbor est, quoque sunt fructus: At sic arbor
hæc, fides sive immota fiducia in Mediatorem, est arbor bona:
Ergo non potest non bonos fructus facere: proindeque rursus
nequaquam fieri potest, ut fides vera & supina securitas simul
stare, & illius certitudo ejus causa esse possit: cum potius illam
expellat, totaq; ipsi contraria sit ac repugnet.

X. Hactenus de proœmio Becani: cumq; illud claudat
restando judicium Lectoris, & nos ad illud provocare possu-
mus, monereq;, ut videat lector, annon fructus hi Evangelio
conformes sint: quod etiam magis constabit ex iis, quæ dein-
ceps in refutando Becano dicturi sumus.

XI. Quæstionem ergo primam sic formar Becanus: *An
justi possint benè operari & legem Dei implere.* Id negare Calvinum
multis probat, quæ adferre nulla vel necessitas, vel etiam utili-
tas suadet.

XII. Id tantum præmonendum, quod statum contro-
versiae ac quæstionem captiosè proponat Jesuita. Primùm e-
nim non sunt Synonyma: *non benè operari posse: & legem Dei im-
plere non posse:* quæ interim ut synonyma ponit Becanus: nosq;
illa eodem modo negare singit, cum tamen non negemus Ren-
atos benè operari posse: licet non concedamus, illos legem Dei perfe-
ctè implere posse. Deinde non simpliciter negamus, renatos le-
gem Dei posse implere, uti id jammodo exposuimus.

XIII. Primam autem rationem, propter quam nege-
mus propositam quæstionem, hanc adfert examinandam §. 9.
nempe quod statuamus, *omnia justorum opera esse damnabilia,*
seu peccata mortalia.

XIV. Verūm hac de re suprà disput. II. Collegii se-
cundi egimus per totam, & demonstravimus th. 14. nunquam
vel Lutherum vel Calvinum dixisse, bona opera, simpliciter esse
pecca-

peccata : sed illum : in omni bono opere justum peccare : istum verò, ne unum quidem, à sanctis exire opus ; quod si in se censeatur, non mereatur justam opprobrii mercedem : proindeq; utrumq; concretè bonum opus considerare, ut, & quatenus ab homine, adhuc peccatis inquinato, proficiatur, sicq; dicere ac statuere, illa aliquem defectum, vitiumq; inhārens in se & natura sua particulari continere, nec absolutè perfecte q; bona esse. Imò demonstravimus falsum esse, quod inde colligit Becanus, statuere vel Lutherum vel Calvinum Bona opera justificatorum suā natura mala esse, & peccata mortalia, cum i d illis tantum per Accidens tribuant, nempe ratione adjacentis defectus & imperfectionis, & sic quatenus in concreto, non in abstracto considerantur tb. 19. Sed quid opus est, ista omnia tautologicè repetere? videatur ipsa disputatio.

XV. Pergamus igitur ad argumenta contraria Becani : Primum, sumit ex fundamento contrario, quando § 9 sic procedit : Ac primò quod ait, omnia justorum opera esse damnabilia seu peccata mortalia, facillimè refelli potest. Primò ex contrario fundamento. Nam ex fide certum est, in Baptismo & justificatione tolli omnia peccata, & infundi gratiam seu justitiam inbārentem, quæ faciat hominem Deo gratum, amicum, & ab omni contagione mundum ac liberum, ut loco citato probatum est. Hinc contra Calvinum sic argumentor : sicut ab homine injusto, immundo, & peccatis obnoxio, procedunt opera injusta, immunda & vitiosa ; ita ab homine justo, mundo, & internis gratiae donis ornato, procedunt opera justa, munda & Deo grata.

XVI. Primum argumentum desumptum à peccato originis, in Baptismo & justificatione sublato. Constat illud ex fide, ait Becanus : sed ex qua fide? sanè non vera & Christiana ; sed imaginaria & Pontificia : qua quidem fingitur peccatum originis in baptismo planè tolli : Contrarium verò docet scriptura, nempe (ut ex ea orthodoxi locuti sunt) tolli peccatum originis in baptismo non ut non sit, sed ut non imputetur. Hæc quia immota est sententia Spiritus sancti, non portæ quidem inferorum, nedium argumenta Becani contra illam prævalebunt, uti suo loco probavimus.

17. De-



XVII. Deinde Comparatio inter hominem non renatum & justificatum, ratione effectorum & operum instituta, nulla est. Primum enim non eodem modo non justificatus est injustus; & justificatus est justus. Ille enim est injustus inherentē in iustitia: hic tantum iustitia imputata. Et licet Justificationem insequatur renovatio, quā iustitiae habitus introducitur: est nihilominus imperfectus, & semper cum imbecillitate carnis junctus: licet itaq; homo ut renovatus, bona faciat opera, imperfecta tamen sunt, quia causa imperfecta est: non renati verò opera, quia à perfecto iustitiae habitu fluunt, utique & ipsa perfectè sunt mala: proindeq; hæc damnant, illa verò non justificant: cum iustificatio perfectam causam justificantem requirat.

XIX. Pergit Beccanus §.10. Huc spectat illud Christi, Matth. 7. v. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere. Et Jokan. 15. v. 5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum. Ex quibus verbis eliciuntur hæc duo argumenta contra Calvinum. Alterum, Arbor bona non potest facere malos fructus: Sed homo justus est bona arbor, Psalmo 91. v. 13. Ergò homo justus non potest facere malos fructus. Quomodo igitur Calvinus docet, omnia ipsius opene esse damnabilia? Alterum, omnis palma, qui est in fœcunda vite, potest facere fructum bonum: sed Apostoli erant palmites in Christo, tanquam in fœcunda vite: Ergò Apostoli poterant facere bonum fructum: Ergò falsum est, omnia justorum opera esse sordes, iniquamenta, meram iniquitatem.

XIX. Ad primum facilis est responsio. Arbor perfectè bona non potest malos fructus facere. Homo justus est arbor bona: sed imperfecta: Ergò nihil concluditur. Deinde Arbor bona non potest malos fructus facere, quatenus bona: Justus est arbor bona: Ergò non potest malos fructus facere quatenus bona. Interim cum adhuc naturale vitium secum in carne circumferat justus: non possunt fructus illi esse perfectè boni. Hinc etiam neq; Lutherus neq; Calvinus simpliciter docent ac tradunt, omnia bona opera esse damnabilia; sed tantum

B

secun-

secundum quid: si nimis illa coram Deo ostentare, & tanquam perfectè bona, quibus vitam æternam mereri possit, jactare velit. Plura de hoc argumento vide Disputat. II. Coll. 2. Th. 54. & seqq.

XX. Secundo argumento probatur quidem, palmites, qui in Christo, tanquam in vite fœcunda, sunt, ferre fructus, sed non statim in ea bonitate, in qua vitis est. Fieri enim potest, ut licet optimum succum ex vite trahat, fructus tamen faciat juxta conditionem ac bonitatem naturæ propriam. Quandoquidem fructus sequuntur naturam & conditionem causæ proximæ; non remotæ. Hæc quidem fertilitatem promovere, naturamq; insiti surculi & inde nascentium fructuum quodammodo temperare potest: totaliter autem non mutat.

XXI. Rem hanc alio adhuc modo explicat Beccanus §. 17. Potest hoc clarius explicari in hunc modum. Ut palmites ferat fructum, requiruntur & sufficiunt hæc pauca. 1. Ut sit in vite. 2. Ut succum & humorem ab ea trahat. 3. Ut habeat sufficientem Solem, à quo exequatur. 4. Ut nullum sit impedimentum, quo lœdi aut impediri posse, cuiusmodi est nimis frigus, gelu, pruina, ventus turbulentior, vermis corrodens, aut aliquid simile. At hæc omnia locum habent in homine justo. 1. Est in Christo tanquam in vite. Iohann. 15. vers. 4. Ego sum vitis, vos palmites, manete in me & ego in vobis. 2. Trahit ab illo succum & humorem divinæ gratiæ Iohann. 4. vers. 14. Aqua quam ego dabo ei, fieri in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 3. Habet sufficientem calorem, quo exequatur. Luca 12. v. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Et cap. 24. v. 32. Nonne cor nostrum erat ardens in nobis? 4. Nullum est impedientum. Non internum. Rom. 8. v. 1. Nihil damnationis est, ita qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Nec externum. Rom. 8. v. 38. Certus sum quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; instansia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Sequitur ergo nihil deesse homini justo, quo minus possit facere bonum fructum.

mutuus hinc videris. unde dico libro 22. Polynesianus

XXII. Ponamus omnia ita se recte habere: adhuc tam
en unum deest, nempe quod homo, qui in vite Christo, est,
adhuc carnales imbecillitates, vitiumq; originis in natura sua
secum circumfert: Nam licet in justificato reatus peccati sit
sublatus, adeoq; nihil damnationis sit, remanet tamen sensus,
actus & radix peccati, quæ perfectionem ut in viribus internis
negant; sic etiam illam in operibus impediunt. Quod sane
internum impedimentum maximum est. Taceo, quod etiam
externa impedimenta non pauca sese offerant. Siquidem
occasiones peccandi quotidiè occurunt, ut homo nesciat sæ-
pius, quod peccet, quando peccat. Hæc ergo si quoque ab-
essent: forsitan sequeretur, quod concludit Jesuita. Quia au-
tem non absunt, sed palmiti adjacent, sit, ut quidem fructus
multum boni succi contrahant e vite, non tamen possint non
simul naturam defectusq; palmitis imbibere & imitari.

XXIII. Conatur porro Becanus suum propositum
probare ratione §. 12. Idem, inquit, potest demonstrari & hoc modo.
Ubiq; sunt sufficientia principia rectæ operationis, ibi potest esse
recta & honesta operatio: At in homine justo sunt sufficientia princi-
pia rectæ operationis: Ergo in homine justo potest esse recta operatio.
Major per se nota est. Minor probatur, quia ad rectam operationem
sufficiunt hæc tria principia. 1. Intellectus, qui intelligat, quid agen-
dum sit, quid fugiendum. 2. Voluntas, quæ amplectatur id, quod ab
intellectu tanquam bonum & honestum proponitur. 3. Potentia exte-
rior, quæ exequatur id, quod voluntas amplexa est, & exequendum
imperavit. Hæc autem sunt in homine justo. Nam intellectus ejus
lumine divinæ fidei illustratus est, ut facilimè possit cognoscere, quid
honestatisit consentaneum. Similiter voluntas à Deo excitatur &
juvatur, per internam motionem, qua prompta & robusta efficitur,
ad desiderandum & amplectendum id, quod recta ratio faciendum
dictat. Deniq; potentiae exteriores possunt illud exequi. Nihil ergo
deest ad bonam & honestam operationem exercendam.

XXIV. Respondeamus primū, presupponendo hanc distinc-
tionem: Principia illa, quæ sufficientia dicit Becanus, vel sunt per-
fecta, vel imperfecta sive infirma. Si perfecta supponat Jesuita,

respondemus ad minorem negando ipsam per se notam esse : immo est obscura : quid ? falsa est. Nam intellectus in hac vita imperfetè illuminatur. Nunc enim cognoscimus ex parte, & cernimus per speculum & per ænigma , tunc vero in altera vita à facie ad faciem. 1. Cor. 13. v. 12. Sic voluntas excitatur quidem , sed non perficitur. Quodq; ad vires attinet , disertè Christus ait : *Spiritus promptus est, sed caro infirma est.* Matth. 26. v. 41. Et Apostolus Paulus Rom. 7. v. 18. queritur : *Velle adest mihi, sed ut quod bonum est perficiam, non assequor.*

XXV. Si contrà Becanus principia illa supponat imperfecta , sive infirma , tum Syllogismi Majorem negamus. Cui enim oculi , videre potest ; sed cui lusciosi , non bene videre : cui crura , ambulare potest ; sed cui curva crura vel infirma , non bene ambulare : & in universum ab imperfectis principiis effecta perfecta non producuntur.

XXVI. Probat porro thesin & sententiam suam exemplo. §. 13. Exemplo , inquit , res fiet clarior. Sit homo justus , qui audiat vel legat hæc verba Christi ; Date eleemosynam : Certè si fidem haberet , facile adverteret honestum & præclarum opus id esse. Accedit divina motio , qua cor ejus tangatur & exstinctetur , ut velit consentire , & executionem imperare. Posito hoc consensu & imperio , quid impedit , quin , si dives sit , & pecunias habeat apud se , possit pauperi porrigere eleemosynam ? Et quod hic peccatum aut ubi ? Non in intellectu , qui fide collastratus , judicat & proponit id quod honestum , laudabile , & DEO beneplacitum est . Nec in voluntate , quæ à DEO nota & corroborata , vult illud ipsum executioni mandare . Nec in manibus , quibus eleemosyna porrigitur , quia obtemperant justo voluntatis imperio .

XXVII. Respondemus exemplo isto nihil probari , quam quod justificatus homo possit facere bona opera , quæ in se & abstractè considerata , juxta substantiam operis bona sint : quod non tantum de justificatis : sed etiam de ipsis Ethnicis concedere possumus : verum non consideramus nos opera in idea , sed ut sunt & existunt in suis subjectis ; Quæ igitur quia perfectè bona non sunt , attrahunt & ipsa opera aliquid vitii ,
-nec
licet



licet alias secundum substantiam operis bona essent. Ut etiam intentio & finis (qui in enumeratione causarum perperam omissuntur) factum sive opus in se bonum moraliter, malum, efficere possunt. Sic Pontificius quando dat eleemosynas, statim adest opinio meriti: quia opus illud in se bonum inquit, ut amplius bonum non sit: Sic in aliis alia sunt vitia: & si non actualia, originale tamen semper adhaeret, quicquid etiam Pontificii ostendat, & Spiritui sancto contradicant. Ad summam! facimus aliquid legis, quando damus eleemosynas, & similia prestamus: sed non totam legem.

XXVIII. Videtur ad hoc respondere Becanus, quando §. 14. ita pergit, At, inquiet Calvinus, deest bona intentio. Imò non deest. Cum enim Deus movet voluntatē hominis justi, ut ex vera dilectione præbeat pauperi eleemosynam, & huic motioni ipse acquiescat, sanè non est mala sed bona intentio. Hinc sumo novum argumentum contra Calvinum, hoc modo: Quando homo justus facit aliquid opus, quod à Deo præcipitur & laudatur, & in eo faciendo habet bonam intentionem, tunc certè totum opus bonum, honestum & laudabile est. Sed hoc sit, quando ex amore Dei præbet pauperi eleemosynam: Ergò tunc facit opus bonum, honestum & laudabile. Major patet ex illis Christi verbis Matth. 6. v. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus; Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, id est, si intentio tua sit bona, totum opus tuum erit bonum. Minor etiam patet ex eodem capite, ubi reprehendit Phariseos, quod facerent eleemosynas, quod ornarent, quod jejunarent, non bona, sed mala intentione, nempe ad captandam inanem gloriam ex bonis operibus. Contra verò bortatur Apostolos & alios justos, ut ipsi bona, non mala intentione in iisdem se exerceant: sic enim fore, ut omnia ipsorum opera sint grata coram Deo. Attendite, inquit, ne justitiam vestram faciat is coram hominibus, ut videamini ab eis &c. Et infra: Te autem faciente eleemosynam, nesciat manus sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

XXIX. Respondemus, quod illa directio divina, vo-
luntatem quidem humanam excitet ad actum dandi eleemo-
nas, B 3

synas, quod substantiam operis bonam, sed non necessariò in fidu-
nè verum ac principale, quem agens sua actione & opere inten-
dere debebat: nempe ut nihil aliud respiciat, quam solam glo-
riam Dei, & propter hanc solam quicquid facit, faciat: idque
inde, quod quidem voluntas, ut diximus, à Deo ad opus bo-
num in hac vitâ excitetur, sed non perficiatur. Et licet vo-
luntas ad directionem sui operis in hunc finem flecti nequeat;
Deus tamen illud ipsum urget in suum & sibi propositum fi-
nem, nempe ut suspiria & preces pauperis exaudiat, ipsumq; per
hasce eleemosynas sustentet. Et si etiam hæc ipsa intentio a-
genti renato non desit, nondum tamen absoluta inde operis
perfectio arguitur. Quandoquidem adhuc manet, quod detur
eleemosyna ab homine nondum planè renato, & ab omnibus
peccati reliquiis depurgato; qui perfectè bonum opus facere
nequaquam potest.

X X X. Facilis ergò est responsio ad majorem distin-
guendo inter opera sano sensu justa, & Deo grata: & inter ope-
ra planè perfectè & consummatè justa, Deoq; hoc nomine,
nempe perfectæ munditiæ ac justitiæ, grata. Quando majo-
rem intelligit Beccanus de bonis operibus, primo modo defini-
tis, tum eam concedimus & sic totum argumentum. Verùm
Jesuitam & ejus causam nihil juvat: cum de ejusmodi bonis ac
justis operibus non sit quæstio. Sin verò accipiat de operibus
bonis, secundo loco descriptis, tum negamus majorem & mi-
norem. Nam licet homo justus faciat aliquid opus, quod à Deo
præcipitur, licet etiam id faciat ex amore Dei &c. non tamen
facit id ut perfectè renatus, & ab omnibus peccatorū reliquiis
depurgatus. Quamdiu autem homo in ejusmodi plenaria per-
fectione non constituitur, licet justificatus sit & renovatus:
tamdiu ejusmodi consummatè perfecta opera facere nequit.
Placent tamen Deo, & justa censentur, inquis? Sic est: sed non
propter consummatam ipsorum perfectionem & bonitatem,
sed propter personam, quod illa per justificationem & pecca-
torum remissionem Deo reconciliata sit.

X X X I. Quod tertio attinet dictum *Mattib. 6.v.22*. Ni-
hil ibi directè agit de bonis operib; an intentione aliqua fiant
sive

sive bona, sive mala: sed de divitiis quomodo illæ bona cum conscientia possideri queant. Postquam enim hactenus docuerat Christus, quām periculose sit thesauros hujus mundi, & opes terrenas rectè tractare: progeriesit hoc versu 22. & per occupationem docet, quod propterea tamen divitiae non sunt simpliciter dammandæ. Cum enim Christo objici potuisse: Ergone fas non est ullo modo acquirere & possidere divitias? Ad hanc igitur tacitam objectionem allegatis verbis Dominus respondet, omnino fas esse. ita tamen, ut opera detur, quò animus servetur integer.

XXXII. Docet ergò Christus illa similitudine, tum demum innocuum reddi usum divitarum hujus seculi, ubi possessionis animus rectus & simplex fuerit, nec à terrenis pendeat, sed in Deo acquiescat. Et est idem quod monet Spiritus sanctus Psal. 62. v. 11. *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Et quod David sibi optat, & à Domino precatur Psal. 119. v. 36. *Inclina cor meum ad testimonia & non ad avaritiam.* Nihil ergo hic de præstantia bonorum operum, sed tantum de legitima possessione, veroq; usu divitarum hujus seculi.

XXXIII. Multo minus hujus similitudinis sententia sive mens hæc erit: *Si intentio tua sit bona, totum opus erit bonum.* Quasi verò intentio sola efficiere possit, ut opus sit bonum? Prædator quispiam iter faciens terra mariq; spoliat, pacatas regiones incursionibus infestat, & omnia, quæ occurunt, rapit & depopulatur, in hunc finem, ut magna tempa in honorem Dei ædificare, Ecclesiæ ministris opima salario ordinare, cœnobia & nosocomia erigere, ad illa conservanda multos magnosq; annuos reditus constituere, similiaq; splendida opera in gloriam Dei efficere queat. Hæc quidem intentio & finis bonus est: nunquid verò propterea actio prædatoria evadet bona?

XXXIV. Disputatum aliquando fuit inter Lutherum nostrum & Philippum Melanchthonem de votis monasticis, an sint opera bona. Philippus inclinavit in affirmativam hoc motus argumento: *Cujus actionis finis est bonus, illa ipsa actio quoq;*

quoq; bona est: At hujus actionis, nēmpe voti Monastici, finis
est bonus, sit enim in honorem Dei: Ergo & ipsum votum mo-
nasticum est bonum. Respondit D. Lutherus: Philippe, urge
tu finem, ego formam urgebo: Argutē. Significavit enim, quod
si actionis sive operis forma non sit bona: quod cum propter
finem ac per finem bona fieri nequaquam possit. Atq; conser-
tit hoc cum illo Pauli: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*
Rom. 3. v. 8.

XXXV. Quartā. Probatio majoris, nihil evincit am-
plius, quād quod nullum opus, qualecunq; etiam sit, sine bo-
na intentione & sine legitimo sit bonum. Verūm inde non sta-
tim est inferendum: Ergo opera cum bona intentione facta
sunt bona. Id enim fallit in illis, quæ quoad substantiam operis
nihil in se boni habent: Et deinde, in istis quoq;, quæ peragun-
tur & fiunt à non perfectè renovatis, & ab omnibus peccato-
rum reliquiis non planè depurgatis, quales sunt omnes homi-
nes etiam justificati. Si enim Paulus, organon illud sanctissi-
mum Dei, conqueri coactus fuit: *Scimus, quod lex spiritualis est;*
at ego carnalis sum, venundatus sub peccatum Rom. 7. v. 14. Ergò
multò magis nos cæteri, qui in sanctitate minimè pares vel æ-
quales sumus Paulo, erecta facie in exquisitam claritatem le-
gis intuentes libenter fateamur, eam spiritualem esse, nos vero
carnales, & ex parte carnis legem infirmari, quo minus à no-
bis adimpleatur: ut hoc pacto obedientia Christi pro nobis
præstata dulcescat: quæ negligitur, quamdiu homo suam justi-
tiam ex lege stabilire nititur.

XXXVI. Pergit Becanus §. 15. ad secundam suorum
argumentorum classem: Secundò, inquit, refelli potest ex iis scri-
pturæ locis, quæ cap. 2. quæst. 4. allata sunt. Verūm ad illa à nobis
Disput. II. Coll. 2. sufficierter est responsum.

XXXVII. Tertio, (subjicit) ex variis absurdis, quæ inde
sequuntur; pauca attingam. Ac primo sequitur, hominem per pecca-
tum justificari, quod sic ostendo. Omnia justorum opera sunt pec-
cata & mera iniquitas; Sed fides est opus justorum: Ergo fides est pec-
catum: at sola fide justificamur; ergo solo peccato & iniquitate ju-
stificamur.

38. Re-



XXXVIII. Respondemus Syllogismi majorem esse
crassam calumniam. Nam opera justorum esse meram iniqui-
tatem, significat in illis nullam esse rationem boni: quis vero sa-
nus & Christianus id diceret? Dicimus nos esse peccata *naturae*, id
est, esse imperfecte bona. Quæ vero imperfecte bona sunt, non
sunt mera iniquitas, sed non sunt pura justitia, ut Gregorius di-
cebat. Deinde respondemus ad minorem i.e. per distinctionem.
Sumitur enim fides vel pro habitu; vel pro *ἐπεγένεταις* & actibus
ejus. Si Beccanus per fidem intelligit ejus actus, tum concedi-
mus, quod illa sint opera justorum hominum, haud secus ac
singula alia bona opera: verum hoc sensu negamus nos fide ju-
stificari, quia inficiamur nos ullis operibus justificari. Si vero
intelligit habitum: tum negamus fidem esse opus hominis. Est
enim opus ipsius Dei, sive Spiritus sancti Job. 6. v. 29. Act. 16, 14.
2. Cor. 4. v. 13. Eph. 2. v. 8. Col. 2. v. 12. Ethanc fidem in cordibus no-
stris excitando & accendendo, Spiritus S. nos justificat. Deinde
committitur fallacia accidentis in eadem minore. Quod enim
fides dicatur peccatum, id sit per accidens: suæ enim naturæ ra-
tione, sive sumatur pro habitu, sive pro actibus hujus habitus,
peccatum nequaquam est: sed ita denominatur ob defectum
ex corrupta natura supervenientem. Propriè itaq; loquendo
non fides, sed in fide est peccatum.

XXXIX. Quæ cum ita sint, facile intelligitur, quo Io-
cō syllogismus principalis sit habendus: qui sic recte formari
potest: *Fides est peccatum: Fide justificamur: Ergo peccato justifi-
camur.* Major enim non habet illum sensum, quem verba
simpliciter intellecta præ se ferunt: sed ita intelligenda sunt:
in fide est peccatum: Fide justificamur: Ergone peccato ju-
stificamur? Non sane hæc sequitur conclusio: sed duntaxat illa:
Ergo aliquo, in quo peccatum est, justificamur. Neque vero
hanc simpliciter concedimus consequentiam. Fides enim vel
sumitur sive pro habitu, sive pro *ἐπεγένεται* illius habitus, & sic
sive pro qualitate, sive pro actione: vel deinde ut relatio, nem-
pe applicatio, & terminum habet meritum Christi. Si ergo
fides, ut medius terminus, sumitur in prima potestate, nega-

C

mus

mus Minorem. Quandoquidem ita accepta fide non justificamur. Si autem in posteriore usurpatur, negamus Majorem; tum enim fides in se non habet peccatum, sed meritum Christi: quod credenti applicat.

XL. Pergit Becanus ad secundum, quod fingit, absurdum: Secundò sequitur, inquit, justos non debere credere: Nam omnia peccata sunt prohibita: At si omnia opera justorum sunt peccata, etiam opus fidei est peccatum: Ergò opus fidei est prohibitum: Ergo non licet credere.

XLI. Nulla est consequentia in argumento. Neq; enim claudicans non debet incedere: quia male incedit: neq; recens initiatus literis non debet legere, quia male legit. Deinde distinguendum est inter opera. Quædam enim sunt per se peccata, nempe boni moralis nullam omnino rationem habent, ut blasphemiae, latrocinia, furta, obtræstationes, helluationes, adulteria, sacrilegia, & id genus alia, quæ sanè mala non sunt teste Augustino lib. 1. de libero arbitrio. cap. 3. quia lege vetantur; sed ideo vetantur lege, quia mala sunt: & sic mala sunt per se. Alia verò tantum per accidens ita dicitur innaturi, sua verò natura, & secundum substantiam operis peccata neq; sunt, neq; dici possunt: quandoquidem ex se habent rationem boni moralis, & tantum per accidens mali. De illis verum est, quod omnia sunt prohibita: proindeq; de his & hoc sensu concedimus, omnia peccata esse prohibita, negamus verò omnia opera justorum esse peccata: & in specie fidem sive credere in Deum, esse peccatum inficiamur. Nam in Deum credere, per se & sua natura habet rationem boni moralis. Negamus etiam hæc opera, & hoc sensu sumpta, esse prohibita, sed tantum in iis prohibita esse malam illam adjacentem rationem concedimus. Quandoquidem peccatum est credere cum aliqua sive incredulitate sive dubitatione, id est imperfectè: ipsum verò credere non est prohibitum. Et quis est tam expers sensus communis, qui hoc non intelligat: quod, licet vinum sit per accidens malum, nempe propter ebrietatem, non tamen prohibetur: quod, licet ambulatio claudicans per accidens, nempe propter illam

illam imperfectionem claudicationis, sit mala, non tamen sit homini, qui vitium in crure habet, & claudicat, prohibitum ambulare, licet vitiōse ambulet: sic homini justo non est prohibitum credere, licet imperfectio quædam illi actioni adiaceat.

XLII. Tertium quod colligunt sine ratione absurdum Jesuitæ, sic à Becano proponitur: Tertium sequitur: Deum præcipere & mandare, ut fiant peccata. Præcipit enim & mandat, ut fiant quædam opera à justis: At omnia illorum opera sunt peccata, teste Calvino: Ergò præcipit fieri quædam peccata. Bellarminus adhuc auget hòc absurdum: Si omnia justorum opera essent peccata mortalia, Deus peccaret mortaliter: Ratio consequentiæ est: Cum enim bona opera facimus, Deus est qui operatur in nobis Phil. 1. v. 43.

XLIII. Laborat etiam hic discursus fallacia accidentis. Negamus enim opera justorū, quorum Deus in nobis causa est remota & prima, esse per se & sua natura mala: sed tantum per accidens inquinari per infirmitates & defectus, qui sunt in secunda causa, nempe homine. Quare perperam fit, si defectus secundatum causarum imputentur primæ causæ: uti quoque hodiè ab illis fieri videtur, qui serio contra omnem sensum communem defendere satagunt, Deum esse causam peccati per accidens. Sic Soli etiamsi omnes tribuant, quod in arboribus & per illas producat poma: quis autem tribuet Soli corrupta poma, & non potius arbori male. Sic secanti nulla culpa est securis obtusa acies. Sic Deus quando tum præcipit nobis, tum operatur in nobis & perficit opera, causa omnino est prima, atq; sic rectè dicitur, quod à Deo sint opera nostra: quod autem mala sint ista nostra opera, non à Deo, sed à nobis habent. Unde Paulus ad Phil. 2. v. 6. disertè scribit: Qui cepit in nobis opus bonum perficiet.

XLIV. Excipit Bellarminus contra datam solutionem: Cum Deus non faciat nostra opera bona nisi per nos, id est, faciendo ut nos faciamus illa: Ergò si, ut à nobis fiunt, mala sunt; simpliciter mala non bona sunt. Probat porro illud exemplo: Quia faber si securi utatur mala, non efficit bonas incisiones, sed malas.

XLV. Verum enim vero, consequentia ista & contra sensum communem est, & contra universam scripturam sive Theologiam. Contra sensum communem: nempe qui expressè negat malum, à secunda & proxima causa proveniens & effectui accidens, primæ & universalis causæ tribuendum esse; uti etiam negat ejusmodi effectus simpliciter sic malos censendos esse: uti id sufficienter jam modo rationibus & exemplis probavimus.

XLVI. Contra sacram scripturam & Theologiam pugnat: quippe quæ constantissimè tenet, Deum uti malis bene. Quod etiam infinitis in locis docet Augustinus, lib. 6. Musicæ cap. ii. In malis etiam operibus nostris Dei opera bona sunt. Homo namq; in quantum homo est, aliquod bonum est. Adulterium autem, in quantum adulterium est, malum opus est: plerumq; autem de adulterio nascitur homo, de malo scilicet hominis opere, bonum opus Dei. Idem Augustin. in Psalm 104. Misit ante eos virum. Quem virum? Joseph. Quomodo misit? in servum venundatus est Joseph. Nempe quando factum est, peccatum erat fratrum, & tamen Deus misit Joseph in Ægyptum. En tibi utrumq; opus per homines factum, ibi adulterium; hic venundatio fratris: utrumq; peccatum abominandum & Deo maximè exosum; Deo tamen factum bene: ibi homo optima creatum: hic missio in Ægyptum: utrumq; optimum à bonitate Dei fluens. Falsissimum utique est, opera Dei, quæ Deus per homines facit, si ab hominibus sint male, simpliciter mala esse.

XLVII. Et lib. 3. contra Julianum Pelagianum cap. 3. tom. 7. mihi pag. 1071. Qui (Deus) non facit voluntates malas, sed uititur eis ut voluerit, cum aliquid iniquè velle non possit. Et in eodem tomo, libr. de Gratia & libero arbitrio cap. 21. pag. 1321. Quis non judicia divina non contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum. Et post pauca: Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit, qui omnino in justè aliquid velle non novit.

En



En rursus quomodo Deus agat ac moveat voluntatem vel ipsius hominis mali : & nihilominus , quod malum velit , ejus causa non est : Quia autem unus nō otus est , sequitur quod non simpliciter sive absolute malus est . Et hoc etiam aliter esse nequit : cum rursus juxta Augustinum malum non potest esse sine bono , in sexaginta quinque questionibus , q̄st. 16. Et rursus lib. 14 de Civ. Dei cap. 50. Mala sine bonis esse non possunt : quia natura in quibus sunt , utiq; bona sunt . Videatur idem Augustin. lib. 1. contra adversarium legis & Prophetarum , cap. 5.

X L I X . Hæc sanè de malis & quidem de apertè malis negari nequeunt : quomodo ergò inficias ibimus in bonis quicquam esse operis divini , propterea quod in illis datur aliquid corruptionis humanæ ? Ho c facit in suis Jesuita , non rationalis cultor Dei , nec pius ac sincerus operum divinorum estimator .

X L I X . Quod attinet exemplum allatum , ambiguitate sermonis fallit impostor , quando dicit : Utentem securi mala non facere incisiones bonas . Quandoquidem illud dupliciter potest intelligi . 1. Vel pro sola ratione incidendi . 2. Vel proto-*ἀποτελέσματι* , ad quod dirigitur hæc partialis sectio . Primo modo quando sumitur , concedimus , quod nulla bona fiat incisio ; hoc est , illud quod inciditur male inciduntur : id vero non potest imputari fabro , sed simpliciter & unicè fit vitio securis . Secundo vero modo quando accipitur , tum pertinet quidem ad fabrum : incisionem vero illam simpliciter malam dicendam esse negamus , quandoquidem incisione illa amputantur rami aridi , totaque arbor ab immundicie purgatur : quod sanè non malum sed bonum est , licet factum sit per securim malam & mala incisione : proindeque non simpliciter mala .

L. Dehinc progreditur Beccanus ad objectiones adversæ partis , Videamus , inquit , quid adversarii pro se adferant . Primo objiciunt illud Eccles. 7. v. 11. Non est homo justus in terra , qui

faciat bonum & non peccet. Hinc colligunt justorum opera non esse bona, sed peccata. Respondeo. Illa verba dupliciter intelligi possunt. Primo nullus est justus, qui faciat aliquid bonum, & non semper peccet omnibus suis actibus. Secundo, nullus est justus, qui semper faciat bonum, & non aliquando peccet. Prior sensus aperiè falsus est, ut ex dictis patet. Posterior potest iterum duobus modis accipi. Primo non est justus, qui semper faciat bonum, & non aliquando peccet mortaliter. Hoc falsum est, & contra illud i. Joh. 3, v. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit. Secundo, non est justus, qui semper faciat bonum, & non aliquando peccet venialiter. Hoc verum est, juxta illud, Proverb. 24, v. 16. Septies in die cadet justus, & resurget.

L. Ad exceptiones Jesuitarum, quas contra hoc dicunt, & verum ejus sensum ac interpretationem adferre solent Jesuitæ, supra Disput. II. Coll. 2. th. 21. 22. 23. sufficienter respondimus. Breviter. Quomodo justorum bona opera à nobis dicantur peccata, id satis explicatum est hactenus & inculcatum: non quod sint peccata simpliciter; sed tantum per accidens, propter imperfectionem dicuntur.

LII. Notandum est, primum, quod concedat Beccanus dictum Ecclesiast. admittere nostram interpretationem: nempe nullum esse justum, qui faciat aliquid bonum, & non semper peccet omnibus suis actibus. Quod autem postea subiungit, sensum hunc aperiè falsum esse, idque ex suis dictis patere: Verba sunt. Primum enim ejus falsitatem nullo solido fundamento vel argumento demonstravit, uti id ex disputacionibus nostris de Justificatione satis patet: Contrarium à nobis evidentissimis rationibus est evictum.

LIII. Deinde. Ut rectè intelligas lector, quomodo justus, faciens bonum, semper & in omnibus suis operibus etiam optimis peccare dicatur, nota, quod justus ita dicatur, non eo, quod bonum faciat: quandoquidem ipsum bonum facere, & quatenus id facit, nō peccare concedimus: sed quod nō debita perfectione faciat: cum juxta Jacob. 2, 20. qui totam legem observarit

servavit, offendit tamen in uno, factus sit reus omnium. Peccat ergo, inquam, justus, non faciendo, sed in actione deficiendo: non bonum operando, sed non perfectè operando: Hanc secus ac luscus cum videt; videt quidem omnia, sed non bene sive perfectè videt. Sit ergo aliquis justus, qui observet omnes leges, nullus autem erit, qui omnes perfectè observet. Ergo ejusmodi justi, ut & omnium verè renatorum, opera suo quidem modo, nempe respectu & sic perfectione partium, perfecta dici possunt: cum illorum obedientia ad omnia Decalogi præcepta se extendat: non verò propterea perfecta sunt censenda respectu & perfectione graduum, quasi rigore legis & sic perfectione illis per omnia satisfiat: sed potius maxima ipsorum hic agnoscenda imperfectio, quippe quæ in nullo summam illam perfectionem, in lege præscriptam, attingant.

LIV. Deinde supra attulimus etiam alias rationes, propter quas hæc nostra interpretatio verissima sit, quas nunquam refellet Becanus, vel ullus alias Jesuita, cum & Augustinus illam probet. Quocirca quia sine ratione novam suam, Jesuita, & violentam rursus objicit opinionem: eadem facilitate, qua afferitur, à nobis rejicitur, majoris facientibus apodicticas rationes & autoritatem Augustini: quam vanissimum coccysnum Becani.

LV. Coronidis loco unicum adhuc notandum est, quod Becanus concedat justos sive renatos interdum peccare, id quod de actuali peccato intelligendum est. Si ergo peccat & peccare potest actualiter; sequitur quod ejus opera bona, licet cum legibus consentiant, sint imperfecta. Non enim ipsum juvare potest, quod dicat, *committere renatum tantum peccatum veniale*. Quandoquidem omne peccatum sua natura mortale est, ideoq; justus, quando peccat, peccat mortaliter, licet propter fidem eadem illa peccata fiant venialia. Mortale hoc in se peccatum, est certè à causa aliqua interna, quæ nihil est aliud, quam ipsum peccatum originis, quod in homine renato remanens, non est otiosum sed *negligere & negotiosum*: quippe

quippe subinde tentatur homo à concupiscentia sua, Rom. 7. v.
7. Jacob. 1. v. 14. Quia ergo hæc mala concupiscentia homini
renato adjacet, quamdiu hisce in terris vivit, perfectè justus
esse, proindeque perfecta justitiae opera facere nequit, & ideo
per accidens peccata, hoc est, imperfectè bona sunt & recte
dicuntur.

LVI. Dicto illo 1. Joh. 3. vers. 9. nequaquam probat
peccata renatorum sua natura non esse mortalia : vel renatos
esse sine peccatis. Quandoquidem tunc sibi ipsi contradiceret
Johannes quando cap. 1. vers. 8. disertè dicit, omnes, quantumvis
Sandos, verè habere peccatum : sed hæc ejus mens est, quod non
vacet aut indulget carni & veteri Adamo, seu originali pec-
cato & aliis actualibus, cœli ipsius fructibus & effectis : Ergo,
non potest peccare, significat ipsam naturam piorum aut ren-
atorum hominum abhorrere à peccatis, sibiq; cavere summo stu-
dio ab illis ; si verò incident in illa, mature adhibeant remedi-
um impetrandæ condonationis & ablutionis per sanguinem
Christi.

LVII. Secundam Objectionem subjicit Becanus §. 17.
Secundò, inquit, objiciunt illud Esa. 64. v. 6. Et facti sumus ut im-
mundi omnes nos, & quasi pannus mensuata universæ justitiae nostræ.
In hoc testimonio ponunt victoriam. Sed frustra. Nihil enim ad rem
facit. Primo, quia non intelligitur de hominibus justis, de quibus est
nostra quæstio, sed de impiis & sceleratis ; nec de omnibus, sed tantum
de Judæis. 2. Nec de omnibus illorum operibus, sed solum de Sacri-
ficiis & neomeniis, in quibus illi maximè justitiam suam collocabant ;
quæ tamen Deus execrabatur, juxta illud Esa. 1. v. 13. Ne offeratis ul-
tra sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi &c.

LVIII. Primum falsa est illa hypothesis Becani, loqui
Prophetam tantum de injustis : quæ ratus sine ratione obtru-
ditur. Falsum autem illam esse inde liquet. Loquitur Prophetæ
de miserbili aspectu futuri exilii, in quod tam justi, licet pau-
ci, quam injusti abrupti fuerunt. Deinde Esaias haud dubie
sicut renatus & pius : At is se includit. *Eramus*, inquit, nempe
ego

ego & totus populus eramus ut immundus: Additq; rursus: Omnes nos: Ego, totus populus, ut nemo excipiatur, sive sit pius, sive impius, sive justus sive injustus, omnes nos. Ut ergo se non excipit, sic nullum vult exceptum.

LIX. Ut etiam hic Esaias ante exilium Babylonicum, sua & totius populi peccata, immunditatem & injustitiam agnoscit, sic idem fecit Daniel in ipso exilio & capitivitate. *Dan. 9. v. 5. seqq.* Ubi etiam se includendo, reges, principes, patres, maximos minimos, peccavimus, inquit, iniquitatem fecimus, impie egimus & rebellavimus, & recessimus a mandatis tuis & judiciis tuis. Et v. 7. Tibi Domine justitia nobis autem pudor faciei v. 8. O Jehova nobis pudor faciei, regibus nostris, principibus nostris & patribus nostris, quia peccavimus tibi.

LX. Deinde loqui Esaiam tantum de Judæis puerilis objectio est. Quasi verò ratione illa, quatenus peccatores sumus, vel etiam justificati, non habeamus eandem cum illis rationem & conditionem: & quæ his respectibus de Judæis dicuntur, ad nos nihil pertineant? Sanè ut illi peccatores sunt, sic quoque nos, & ut peccatum in illis mansit post justificationem, sic quoque manet in nobis, & ut omnes justificati Judæi, non potuerunt non fateri, se esse in peccatis conceptos & natos, & neminem ipsorum consistere posse in iudicio Dei: sic idem & nos agnoscere & fateri cogimur.

LXI. Loqui quoque Prophetam, non de omnibus Judæorum operibus, sed duntaxat de illorum sacrificiis & neomeniis, manifestè rursus contradicit textui, qui disertè loquitur de omnibus operibus, de omnibus justitiis: *Et tanquam vestimentum, inquit Propheta, inquinatum, non nostra tantum sacrificia, non nostra tantum neomenia, sed OMNES justitiae nostræ, & decidimus velut folium OMNES NOS, & INQUITATES nostræ, tanquam ventus abstulerunt NOS.*

LXII. Et sanè si sacrificia Judæorum non placuerunt Jehovæ, quæ erant per se sancta, & ab ipso Deo mandata & instituta; quomodo reliqua opera Deo placere potuerunt?

D

Quid?

Quid? quod ex eo, quod Deus non amplius probaverat sacrificia Judæorum, apodicticè efficiatur, quod nullum opus, ut ut etiam sua natura bonum fuerit, in conspectu Dei bonum, sed injustitia fuerit: illoque nihil promereri potuerint.

LXIII. Ita visum jam olim fuit Bernhardo, nempe loqui dictum hoc de ipsis operibus bonis justorum, de verbis Esaiæ Serm. 5. Nostra si qua est, humiliis justitia, recta forsitan; sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliiter ajebant: Omnes justitiae nostræ tanquam pannus menstruatæ mulieris. Quomodo enim pura Justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse. Idem de verbis Originis: de Paulo agens: Ut nec in se quoque peccati conscius habetur, sed non in hoc, inquit, justificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Illius enim prorsus nequeo declinare judicium, & si justus fuero, non levabo caput, quoniam omnes justitiae meæ tanquam pannus menstruatæ coram illo. Non est, qui in conspectu ejus justificetur: non est usque ad unum. Cæterorum siquidem nemo est, quem non oporteat dicere Deo, Tibi peccavi, sed magnus, qui in veritate potest dicere, Tibi soli. Item Dionysius Carthusianus in Psal. 142. Quid est, quod Ezechias, Hieremias, Esther, Judith, alii multi leguntur, suas coram Deo justitias atque perfectiones allegasse? Et respondendum, quod non simplicitas, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique, quod omnes eorum justitiae essent coram Deo sicut pannus menstruatæ.

LXIV. Non est, quæ Alphonsus de Castro objiciat, loqui Prophetam de Justitia legis, sine fide in Christum: Opera autem fidei non esse talia: O vanae vestre mentes! Diversa

LXV. Responsio expedita hæc est, differentiam ex lege & ex fide non dari in operibus oppositis: sed in operibus & gratia: propterea quod Justitia ex lege tantum judicium secundum opera: at justitia ex fide tantum secundum gratiam.

tiam, quæ peccata remittit. Quocirca hæc potest esse in peccatoribus; illa verò non potest. Verum nos jammodo de justitia ex operibus disputamus: importuna itaque transitio est ad justitiam ex fide. Ea propter Bernhardus quoque, ut audivimus, operibus Pauli hanc sententium aptavit, quæ tamen ex fide siebant. Et verò qui justi erant in Veteri Testamento, Esaias, Jeremias, Ezechias, Esther, &c. non destituebantur fide: Ergo etiam ipsorum opera ex fide erant. Quocirca illorum idem judicium cum iis, quæ in Novo Testamento fiunt.

F I N I S.



Quodammodo t' evolv' si sup' sit



99 A 6900

ULB Halle
002 622 092

3



SB

Retro

VDT7





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



38
TERTII
in Confessionem

ARTIO V.

inens

ARTICVLI VI.

ESTIONE

posfint be-

x legem D EI
lere,

posita

Hemia VVittebergensi

S I D E

MARTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.

Appli Arcis Præposito,

NDENTE

ELDERUPPIO Norwego.

Collegii Veteris

4. Aprill.

EBERGÆ,

IS AUERBACH, Acad. Typogr.

M DC XXX.